

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Adulacio aq  
cum fonte primo

Adulatores a uoluntate uultum,  
ab animo uerbum, a mente linguam,  
ab intellectu loquelam  
amplo dissensionis interuallo diffibulant.

Plerumque enim exterius plausibiliter  
applaudendo collaudant quos interius  
contradictoria derisione defraudant.  
Foris uultu applaudunt uirgineo, intus  
scorpionis pungunt aculeo;  
foris adulacionis mellitos compluunt imbres,  
intus detractionis euomunt tempestates.

Alanus ibidem (de conplanctu siue  
conquestione nature).

Nam cum loquela, fidelis intellectus  
interpres, uerba, fideles animi picture,  
uultus, uoluntatis signaculum,  
lingua mentis soleat esse propheta,  
adulatores a uoluntate uultum,  
ab animo uerbum, a mente linguam,  
ab intellectu loquelam,  
amplo dissensionis interuallo diffibulant.  
Plerisque etenim forinseca dealbatione  
laudis arrident, quos interna mentis  
subsannatione derident.  
Plerosque exterius plausibiliter  
applaudendo collaudant, quos interius  
contradictoria derisione defraudant.  
Foris uultu applaudunt uirgineo,  
intus scorpionis pungunt aculeo.  
Foris adulacionis mellitos compluunt imbres,  
intus detractionis euomunt tempestates.

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 14  
(N.M. Häring ed., pp.863-4, ll.131-140).